

tiumque l^aetitia , ipsa vecta Bucentauro navi , media inter patres , matronasque nobilissimas civitatis , urbem est ingressa , quod ante id tempus Venetarum fœminarum contigerat nulli : l^aetissimusque is profecto dies civitati fuit . Asulum subinde oppidum in Taurisanis collibus ei a Decemviris dono datum , atque auri quinquaginta libræ in annos singulos constitutæ pensionis nomine : tum muneris in præsentia decem libræ .

Superiore anno autem (ut ad eas res , quibus de rebus ante dicendum fuerat , revertamur) ne civitatem oneriarum navium numerus , proventusque deficeret , Senatus consultum factum est , quæ in navibus exterarum nationum mercaturæ causa imponerentur , ea fisco deberi , vino Cretico excepto : pro quo tamen portorii nomine Venetis magistratibus pares amphorarum numero auri semuncias mercatores solverent . tum quicumque navem magnam onerariam fabricandam institueret , uti ei quæstores de triginta auri libris commodarent , eodem Senatus consulta continebatur . Post hæc cum Tremezeni rex , quod est oppidum Aphricæ non longissime a freti angustiis contra Hispaniam situm , a Senatu per legatos petiisset , uti civem Venetum eo mitteret , qui suis in oppidis tribus jus reipublicæ hominibus diceret , Senatus censuit , quo regiæ postulationi satisficeret , uti magistratus crearetur , eoque mitteretur , ad quem centesima mercium omnium , quæ merces eis in oppidis venderentur , perveniret : estque ad ea oppida omnium primus Aloisius Pizamanus missus . Eodem tempore Senatus jussu in Idri lacus ripa , loco alto atque edito , quo in loco Anfo Brixianni agri vicus est , magni arx operis , crebræque munitiones institutæ , ac tertio consecræ anno , omnem illam oram tutiorem , ac celebratiorem reddiderunt . Eodem quoque anno Decemviri legem tulerunt , ne aperte Suffragia inirentur : qui secus fecisset , suffragiorum jure , magistratibusque annos duos careret . De Græcis item equitibus , qui reipublicæ militiam faciebant , lex est lata : qui eorum coloniæ nomine ad insulam Zacynthum ire vellent , uti iis agri publice darentur , in primisque Theodoro

1489

1488
*Leges mul-
 tæ & Sena-
 tus consul-
 ta.*